

EPISTOLA NVNCVPATORIA.

corrofa fuere, quorum alia, æstimationem & coniecturas secuti restituimus, alia, ubi certum aliquid quod sequi possemus non erat, prorsus intacta reliquimus. Omnino autem nihil de quo non certo uel ex Græcis uel ex Latinorum poëtis constaret, immutatum, aut loco motum est, adeo ut in quibusdam etiam diuersam lectionem, iuxta alteram atque priorem adnotasse satis putarim. Non enim mihi placet quorundam emendandi ratio, qui omnino temere, & ut quicq; posse uidetur, continuo mutant, aliâq; subinde pro ueris ficta supponunt. Quibus ut nihil aliud, illud certe acceptum referre debemus, quod plerosque autores minus integros & mutilatos magis habemus. Hanc igitur operam nostram, Nobilissime Otho, si quod spero, grato animo acceperis, & illud utiq; facies, ut quod iam inde à principio optauî, tibi cômendatus ut essem, hinc iam consecutus esse uidear & hoc quoque addes, ut ad reliquas horum studiorum partes deinceps capeffendas & persequendas, alacriorem me reddas. Vale.

INDEX